



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 224

Vltimu[m] excidiu[m] Iudaeor[um]. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29805

RERVM MEMO. LIB. IIII.
TRAIANVS XX. ANNIS SEX
mensibus minus regnat.

Cap. X.

QVo xx. annis, sex mensibus minus principatu p-
functo, hic Adrianus in scepra succedit.

REGNVM ADRIANI.

Cap. XI.

TVnc Quadratus, discipulus apostolorum, de q̄
supra meminimus, & antistites Athenienses scri-
bunt libros de Christiana religione ad Adria-
num, qui libri habentur insignes, vt apostolicæ do-
ctrinæ & magnorum ingeniorum indicia.

ALEXANDER papa sedit x. annis.

Caput XII.

TVnc Alexander papa, tertio Adriani anno marty-
rio coronatur, & vij. ab Vrbe miliario, vbi decol-
latus est, sepelitur, sicut eius gesta narrant.

HAYMO.

Cap. XIII.

INuenimus autem in retractatione Chronicarum
Eusebij, quam Beda breuiãdi gratia ordinat, pru-
denter & succincte, quod præfatus Pontifex non
sub Adriano passus est, sed sub Traiano, quod ex
hoc facile potest probari, q̄ Adrianus per Quadratū
libris de nostra religione compositis instructus, præ-
cepit per epistolam Christianos sine obiectione cri-
minum non puniri.

BEDA. vltimum excidium
Iudæorum.

Caput XIII.

C iij

HAYMO DE CHRISTIA.

Hic deniq; Adrianus Iudæos secundo rebelles, ultima cæde domat, etiam eis ablata licentia introeundi Hierosolymam, quam ipse in optima murorum cæperat extructione, & Heliam vocari de suo nomine instituit. Hic Antinoo amasio suo annuos agones instituit celebrari, & cæpit appellare Antinoios, & ciuitatem condidit eius nominis Antinon, & templum ei dicauit, Sacerdotes & prophetas instituit. Interea Alexandro finito per martyrium, Sixt^{us} subrogatur Romæ, Alexadriæ vero Primo defuncto. Iustus episcopus eligitur.

EPISCOPI Hierosolymæ ex
Iudæis. Cap. XV.

Hierosolymæ vero primus ex gentibus creatur Marcus episcopus, cessantibus his qui fuerant ex Iudæis, qui sunt numero xv. id est Iacobus frater domini, Symon, Iustus, Zachæus, Thobias Benjamin, Iohannes, Mathias, Philippus, item Iustus, Leni, Effrem, Ioseph, Iudas.

DE BASILIDE ET SATVR
nino hæresiarchis.
Cap. XVI.

Per idem tempus humani generis hostis antiquus, quasi bino ore sibilat per Basilidem hæresiarcham, ortum Alexandria, & Saturninum genitum Antiochiæ, conturbans ecclesias. Hic Basilides comparat sibi discipulos, quos facit ad morem Pythagoricum quinquennio silere. Hos docet immolata absq; conscientie respectu degustare, & sine scrupulo & indifferenti debere in persecutiõibus fidẽ negare.